



**Gepredigte Religions-Histori/ das ist/ Jesus Christus und
Seine Kirchen offenbahrlich dargezeigt Von Urbegin der
Welt an biß an das Ende der Zeiten**

Ehedessen auf öffentlicher Cantzel dem Volck geprediget/ Nun aber nach
aufgelößtem oratorischem Faden/ zu bequemerem Gebrauch/ vor
jedermänniglich in diese Les-Form gestellet

in sich begreifende die Religions-Histori von Adam biß auf Christum

Hieber, Gelasius

Augsburg, 1726

VD18 80480381

Index Concionatorius Themata pro omnibus Festis totius anni indicans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72727)

INDEX CONCIONATORIUS

Themata pro omnibus Festis totius anni
indicans.

Festo S. Andreæ Apostoli.

Thema : *Mibi autem absit gloriari nisi in Cruce D. N. Jesu Christi.* Gal. IV.

Cum D. Andreas Christum non alio quàm Crucifigendi titulo à Magistro suo Joanne ipsi indicato primùm secutus fuerit, ante omnes Apostolos etiam *Cruz* ipsi in Martyrium, vel potius præmium cessit, quare commendandæ sunt adversitates, ceu non contemnendæ Dei Bona, ex Discurs. XIV. 2. XVIII. 3.

Festo S. Nicolai Episcopi.

Thema : *Domine quinque Talenta tradidisti mihi.* Math. XXV. 20.

Quàm benè D. Nicolaus concredita ipsi tum animi tum fortunæ bona & talenta dispensaverit, ex ipsius vita abundè patet; quare admonendus est populus, ne in vacuum Dei gratiam recipiat. Discurs. IX.

Festo Conceptionis B. Virg.

Thema : *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Prov. VIII.

Cum Beatissima Virgo, Christi Redemptoris beneficio, Caput serpentis, totum humanum genus peccato Originis inficientis, pro sua quidem persona contriverit, ejusdem exemplò, suadendum est, ut primas ejusdem suggestiones incunctanter rejiciamus ex Disc. X. 3. XIII. 2. 3.

Festo S. Apostoli Thomæ.

Thema : *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in locum clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum non credam.* Joan. XX.

Nova, eaque palpabilia credibilitatis motiva exigens Apostolus Thomas, typus est Novatorum, adversus quos admonendus est populus, ut omni in Religione novitate rejecta antiquis Ecclesiæ placitis nunquam non adhaereat. Vid. Discurs. XLIV.

In Nativitate Domini.

Thema : *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Joan. I.

Hac die rectè pro Concione explicatur admirandum Incarnationis mysterium ejusdemque effectus Salutares ex Discurs. XII.

Festo S. Stephani.

Thema : *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & scribas & ex eis occidetis &c.* Math. XXIII.

His Christi verbis & S. Stephani Protomartyris exemplo ostendi potest, quantæ Dei cultoribus tolerandæ sint persecutiones Discursus XXVII. 2.

Festo S. Joannis Apostoli.

Thema. *Quid ad te, tu me sequere.* Joan. XXI. Hoc loco Concionator invehi potest in eos, qui otiosas, inutiles & contentiosas de rebus Fidei necunt quæstiones, magis ostendendi ingenii, quàm veritatis indagandæ, aut pietatis eliciendæ gratia. Ex Discurs. LI. 1. 2. 3.

Festo SS. Innocent. MM.

Thema: *Herodes iratus occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem & in omnibus finibus ejus.* Math. II.

De horrenda morte hujus infanticidæ Regis vide Discurs. XXXVI. 1. Atque aliorum etiam, qui Ecclesiam persecuti sunt.

Festo Circumcisionis.

Thema: *Sæculum nostrum in illuminatione vulnus tui.* Psalm. LXXXIX.

Ut felix faustusq; secuturi anni decursus, suadendum est populo, ut hac præsertim die, quin imò in omnibus dehinc agendis negotiis auspiciam à Deo Optimo Maximo sumat. Discurs. II. 3.

Qui cardiognastes est, omniaq; acta & facta nostra in se ipsis introspicit, XXXIII. 2.

Festo Epiphaniæ.

Thema: *Vidimus stellam ejus in Oriente & venimus adorare eum.* Math. II.

Cum cognitio, charitas & adoratio Dei & Christi, quæ Magis Orientalibus Stella Duce ad præsepe deductis data sunt, ipsius Evangelii testimonio suprema Dei dona sunt, hæc ut

I N D E X.

ut præ cæteris à Deo efflagitet populus, pro virili admonendus est; ex Discurs. I. 2. III. 1. 2. 3.

Festo Purificationis.

Thema: *Ut darent Hostiam, secundum quod scriptum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos Columbarum* Luc. II.

Rectè exclamat Scriptura: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Sap. IV. 1. Cum ergo hæc ipsa conjugalis castitas per par turturum aut duos pullos Columbarum in lege præceptos figurata, per castissimum verò D. Josephi & B. Virginis conjugium plùs quàm completa sit, commoneri hïc Christiani Conjuges possunt, ut eorum quoque *lectulus floridus sit.* Ex Discurs. XXIX. 3.

Festo S. Apostoli Mathiæ.

Thema: *Cecidit fors super Mathiam.* Act. I. Sortes omnium nostras, tam quoad vocationem conditionis, quàm salutis nostræ in manu Dei versari, Scripturæ effatum est Proverb. XVI. 33. Jerem. XIII. 25. Psalm. XV. 6. Igitur tors bona & beata à solo Domino postulanda est illis Jobi verbis: *Vocabis me, & ego respondebo tibi.* Job. XIV. 15. Vid. Discurs. XXXIII. 2.

Festo S. Patriarchæ Josephi.

Thema: *Joseph de domo & familia David.* Luc. I.

De profapia, nobilitate, prærogativis & virtutibus D. Patriarchæ Josephi differendi ampla messis subministratur. Discurs. XLIX.

Festo Annunciationis B. V.

Thema: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam Viro.* Luc. I.

Cùm Sponsalia inter futuros Conjuges contrahenda majoris sint momenti, quàm vulgo existimantur, quomodò tam arduum opus tractari, perficij oporteat, edocendi sunt parentes eorumq; liberi ex Discurs. I.

Festo SS. Apost. Philippi & Jacobi.

Thema: *Creditis in Deum?* Joan. XIV. Quidnam hic articulus fidei: *Credo in Deum.* Qui omnium credendorum basis & fundamentum, quemq; Christiani omnes unanimi voce profiteamur, re atque ipso factò à nobis exigat, proponi decet & necesse est ex Discurs. II.

Festo S. Joannis Baptistæ.

Thema: *Quis putas puer iste erit?* Luc. I. Hujusmodi verbis de non paucis quæri potest, qui genium suum à primis statim unguiculis ad malum produnt, urit enim maturè quod vult urtica manere. Cur autem nonnunquam pius, egregius & laudatissimis parenibus degenerat catur filius, juxta illud pervulgatum proverbium: *Heroum filii Noxa*, videri debet

Discurs. XXXVII. 3. Doceri item potest, Deum plùs dare quàm rogetur. XLII. 2.

Festo SS. Apost. Princip. Petri & Pauli.

Thema: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Math. XVI.

Cùm totus terrarum orbis consumationi Ecclesiæ deserviat, Ecclesia verò Christo, Christus autem Deo & Patri, ut Apostolus loquitur, Ecclesia utique oculis vitaq; ipsa charior nobis esse debet, qua de gloriosa juxta ac copiosa dicta vide in *Indice Rerum & Verborum V. Ecclesia.* Item Discurs. XV. 3. XVI. I. XIX. 2.

Festo Visitationis B. V.

Thema: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.* Luc. I.

Cùm Mariæ Elisabethæ toto hoc tempore omne obsequii genus, velut Ancilla præstiterit, locus opportunus se offert commendandi officia Christianæ charitatis, quæ vocantur opera Misericordiæ corporalia. Math. XXV. & Can. dist. 45. & 86. Vid. Ind. Verb.

Festo S. M. Magdalenæ.

Thema: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. VII.

Cùm B. M. Magdalena summum animi dolorem, & odium peccatorum tanto lacrimarum imbri, publicè fuso, satis sit contestata, suumq; insuper amorem erga Christum tot fidis charitatis officii domi forisq; ante & post Resurrectionem, comprobaverit, non incommodè hic de vera ac falsa poenitentia agi potest ex Discurs. XXII. 3.

Festo S. Apost. Jacobi.

Thema: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. X.

Cùm duo sint inter Apostolos hujus nominis *Jacobi*, Majorem illum vocant, cujus hodie solennis est memoria, & quem Evangelium hodiernum docet Zebedæi filium fratrem verò Joannis fuisse, quiq; vel primus Apostolorum calicem Christi bibit Herodiano gladio cæsus. Quare non ineptè de necessaria Fidei Professione agi potest ex Discursu XXXVI. 2.

Festo S. M. Laurentij.

Thema: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Joan. XII.

Ex ea, quam B. Laurentius Summo Pontifici Christo exhibuit, singulari charitate, honore ac reverentia, meritò argui castigariq; debet nostrorum Hæreticorum impudentissima petulantia, omne calumniæ genus in Supremos Christi Vicarios evomentium, quæ quidem dira lues non Summum modò Pontificem, sed universum Clerum dieteris at-

INDEX.

que injuriis appetendi non paucos ex nostris Pseudopoliticis incessit pessimo sequacium temporum præfatio. Vid. Discurs. XVI. 2. Locum etiam hæc Festa lux subministrat de patientia in adversis exercenda. Discurs. XLV. 3.

Festo Assumptionis B. V.

Thema: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris & universi pulveris pigmentarii.* Cant. III. 6.

Tria peccatissimum Marianæ Sanctimonie capita hoc textu recensentur. Primum, quod Mundus ipsi non aliter visus fuerit quam *terra deserta, in via & in aquosa, quæ ascendit per desertum*? Secundum, quod ardentissimo desiderio in superna flagraverit; *sicut virgula fumi.* Tertium est, quod omnium omnino virtutum meritis & excellentiis dotata & cumulata fuerit *ex aromatibus myrrha &c.* Ascendendum igitur prius animo, more Virginis, priusquam sequamur & corpore ex Disc. XLV. 1.

Festo S. Apost. Bartholomæi.

Thema: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Math. XIX.

Recte divitiarum bonaque, ut vocant, mobilia militari termino *Impedimenta* vocantur, verè siquidem impediunt Hominem in Via salutis. Hac igitur de causa Beatus Bartholomæus *omnia reliquit* & quidem non modò Naviculam & retia, ut ceteri Apostoli, sed etiam magnas spes hujus Mundi, Regis quippe in Syria Nepotem eum fuisse scribit Petrus de Natalibus. Suadendum est igitur populo, ut terrena salutem animo de relinquat, priusquam re ipsa ab iisdem derelinquatur, maximè cum Sanctus Apostolus pellem ipsam, veluti olim luctatores deposuerit. Vid. Index Verb.

In Nativitate B. Virg.

Thema: *Multæ filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Prov. XXXI.

Beatissimam Virginem generis splendore omnibus foeminis, animi dotibus verò universis Creaturis antecire ex Discurs. XLVIII. constat; docendus ergo populus, in quo utraque tam animi, quam Corporis Nobilitas consistat ex Discurs. eodem.

Festo S. Mathæi Apost. & Evangelistæ.

Thema: *Et surgens secutus est eum.* Math. IX.

Rectè notat D. Gregorius, B. Mathæum post primum vocationem suam, qua Christum de hinc sequi statuit, ad Telonium non amplius resedisse, quo ex capite ostendi potest, quemadmodum indecorum sit, quod Clerici se immisceant negotiis sæcularibus, ita & omnino dedeceat sæculares, si falcem suam in Ecclesiæ messem immittant ex Discurs. XLIV. 1.

Festo S. Michaëlis Archangeli.

Thema: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Math. XVIII.

De Angelis, eorumque præstantia, ministerio & cultu; Itemque quid nobis hoc de articulo credendum observandumque sit pluribus agitur Discurs. VIII.

Festo SS. Apostol. Simonis & Judæ.

Thema: *Qui facit Ministros suos ignem urentem.* Psalm. CIII.

Et si de omnibus passim Apostolis constet zelo promovendæ gloriæ Dei flagrâsse, attamen hoc par nobile fratrum cum primis hoc laudis genere celebre est, uti Ipsum Judæ Nomen *Chananeus*, quod idem est ac *Zelotes*, adsignificat, quare in eos declamandum est, qui solummodo quærunt, quæ sua sunt, non autem, quæ Jesu Christi. Vid. Discurs. XXXIII. 3.

Festo SS. Omnium.

Thema: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelo.* Math. V.

Opportuna occasio differendi de caelo Emphyreo, Beatorum patria, & termino Viatorum. Ostendi ergo populo potest nimium verum esse illud Ecclesiastici; *Modicum laboravi & inveni mihi multam requiem.* c. LI. 35. Vid. Discurs. VI. Item I. 3.

Festo S. Martini Episcopi.

Thema: *O virum ineffabilem nec labore victum nec labore vincendum!* Eccl. in hod. Offic.

Locus est opportunus contra vitium otij, pulvinar diaboli, malorumque omnium radicem deterrandi laborumque multis capitibus commendandi Discurs. IX. 2.

Festo Præsentationis B. Virg.

Thema: *Quam pulchri sunt gressus tui, in calcamentis tuis filia Principis!* Cant. VII.

Cum Patrum sententiâ constet, Beatissimam Virginem jam ante Desponsationem suam perpetuæ Virginitatis Votum emisisse, ostendi potest, ejusmodi Votum rem quidem pergratam Deo, meritisque plenam esse, attamen, cum non omnes capiant Verbum hoc, non abrupto consilio, sed matura omnino deliberatione hoc in negotio procedendum esse ex Discurs. L. 1. XVI. 3. XXX. 1.

Festo S. Catharinæ V. M.

Thema: *Veni de Libano Sponsa Veni, Veni coronaberis!* Cant. IV.

Ex hac triplici ad Coronam convocatione commendari potest triplex qua in Ecclesia hæc alma Virago refulget, laureola *Virginitatis* nimirum *Sapientiæ & Martyrij*, dum subinde nos singulis contenti ejusdem Patrocinium in nos imploremus Discurs. X. 1. 2. Vid. etiam *Index Rerum & Verborum.*

Erste